Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

filium hominis ad dexteram dei patris stare memorauit
ut ad confundendam iudeorum incredulitatem: ille martiri
ostenderetur in celo. qui a perfidis negabatur in mun
do. et illi testimonium celestis ueritas daret. cui fidem
terrena impietas denegaret. Unde licet iuxta psalmum
qui lectus est preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius:
si quid tamen distaret inter martires potest precipuus uideri
esse qui primus est. Nam cum sanctus stephanus ab apostolis diaconus
ordinatus sit. apostolos ipsa beata ac triumphali morte
precessit ac si qui erat inferior ordine primus factus est
passione. et qui erat discipulus gradu. magister cepit esse mar
tyrio complens illud quod beatus propheta in psalmo dicit:
Quid retribuam domino pro omnibus que retribuit michi. Re
tribuere uoluit primus stephanus martyr domino. quod cum
omni humano genere accepit a domino. Mortem enim quam
saluator dignatus est pro omnibus pati. hanc ille primum
reddidit saluatori. Post hec subiecit sacra scriptura
et ait: Positis autem genibus clamauit dicens. Domine ne sta
tuas illis peccatum. Uidete dilectissimi affectum beati uiri.
uidete magnam et admirabilem caritatem. In persecutio
ne positus erat et pro persecutoribus supplicabat. adque in illa
lapidum ruina quando alius obliuisci poterat. et iam ca
rissimos suos ille domino commendat inimicos. Quid enim
dicebat cum lapidaretur. Domine ne statuas illis hoc pec
catum. Plus itaque tunc illorum dolebat peccata quam sua
uulnera. plus illorum impietatem quam suam mortem.
Et recte plus. In illorum quippe iniquitate erant mul
ta que debebant plangi. in illius autem morte non
erat quod debuisset doleri. Illorum impietatem mors se
quebatur eterna. huius autem mortem uita perpetua.
Imitemur ergo in aliquo dilectissimi fratres tanti magistri fidem.
tam preclari martiris passionem. Diligamus nos hanc animo.
in ecclesia fratres nostros quo iste [illegible] dilexit suos inimicos.
Sed quod peius est aliquotiens non solum inimicos non
diligimus. sed nec amicis fidem integram custodimus.
Sed dicit aliquis. Non possum diligere inimicum meum
quem cottidie uelut hostem patior crudelissimum.
O quicumque ille es attendis quid tibi fecerit homo.
et non consideras quid tu feceris deo. Cum enim tu
multum grauiora in deum peccata commiseris. quare non
dimittas homini parum ut tibi dignetur dimittere
multum. Recole quid tibi in euangelio ueritas ipsa promi
serit. et quam tibi quodammodo cautionem fecerit ut qualem
tecum pactum inierit. Si enim inquit dimiseritis
hominibus peccata eorum dimittet et uobis pater uester ce
lestis peccata uestra. Si autem non dimiseritis

nec pater uester dimittet uobis debita uestra. Uidetis
fratres quia cum dei gratia in potestate nostra positum est qua
liter a domino iudicemur. Si inquid dimiseritis dimittetur uobis.
Iam sepe dixi fratres et frequentius dicere debeo nemo se cir
cumueniat. nemo se seducat. qui uel unum hominem
in hoc mundo odio habet quicquid deo in bonis operibus detu
lerit totum perdit. quia non mentitur apostolus Paulus dicens.
Si dedero omnes facultates meas et si tradidero corpus
meum ita ut ardeam. caritatem autem non habeam. nichil
michi prodest. Quam rem et iam beatus Iohannes confirmat dicens.
Omnis qui non diligit fratrem suum manet in morte.
Et iterum. Qui fratrem suum odit homicida est. Hoc ergo loco
fratrem omnem hominem oportet intelligere. omnes enim in
christo fratres sumus. Nemo itaque sine caritate de ingenuitate
presumat. nemo de elemosinis nemo de orationibus con
fidat. quia quamdiu inimicicias in corde tenuerit. neque
istis neque aliis quibuslibet bonis operibus placare sibi deum
poterit. Si uult habere propicium deum. non dedignetur
audire consilium meum. Audiat non me sed ipsum dominum
suum. Si inquid offeres munus tuum ante altare.
et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduer
sum te. relinque ibi munus tuum ante altare et
uade prius reconciliari fratri tuo et tunc ueniens offe
res munus tuum. At nos pugnas habentes intrin
secus et dolos in corde uersantes. quasi qui bonam
conscientiam habemus presumimus accedere ad altare
non timentes quod scriptum est. Qui manducat
et bibit indigne: iudicium sibi manducat et bibit.
Sed dicit aliquis. Grandis labor est inimicos di
ligere. pro persecutoribus exorare. Hec nos negamus fratres.
Non paruus quidem labor est in hoc seculo. sed grande erit
premium in futuro. Per amorem enim hominis inimi
ci efficeris amicus dei. immo non solum amicus sed etiam
filius sicut ipse dominus dicit. Diligite inimicos uestros
benefacite his qui uos oderunt ut sitis filii patris
uestri qui in celis est. Si te aliquis diues in hoc seculo
uellet adoptiuum filium facere. quomodo seruires quas
indignationes et iam seruorum eius. quam seruicia du
rissima et aliquotiens turpissima sustineres. ut
ad caducam et fragilem hereditatem illius peruenires. Quod
ergo alius sustinet propter substantiam terrenam. tu
sustine propter uitam eternam. Conuincimur
enim certissima ratione. quia propter deum possumus quidem
sed nolumus iniurias sustinere. Denique si nobis aliquis
potens persona iniuriam faciat. si nobis et iam in
facie maledicat. non respondere aliquid asperum.